



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,  
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio  
incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

§. II. Hæreticorum objectiones solvuntur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

eminet Raymundus Martini, Ordinis Prædicatorum, qui suum opus Pugionis fidei, iis testimoniis locupletavit: quod opus olim Galatinus omnino excerpserat, & tanquam proprium parvum in lucem ediderat: sed illud illustrissimus Dominus de Voisin, Exsinator Burdigalensis, suo Auctori restituit.

Quantum ad statum legis gratiæ, ex superioribus facile probari potest, & comparatione statum omnium perfectissimi, cui nihil deesse credendum est eorum quæ in aliis statibus habebantur, qui huius duntaxat figuras continebant, aut rudia lineamenta. Si ergo in statu legis naturæ & legis scriptæ plura habebantur solâ traditione accepta, & quæ necessaria erant ad cultum religionis, & regimen Ecclesiæ, ut jam ostendimus, etiam in statu legis gratiæ, non minus esse debent traditiones, cum non minus etiam ad regimen Ecclesiæ pertinere possint, aut necessaria sint.

Et confirmari potest ex eo quod in Actibus Apostolorum cap. 1. dicitur quod Christus per dies quadraginta apparetur Discipulis, ipsis loquebatur de regno Dei: de regno scilicet Ecclesiæ quam fundabat de regimine quo regnanda erat de legibus quibus erat stabilienda, & aliis quæ ad perfectum regimen necessaria requiruntur; hæc enim omnia Christus post resurrectionem per dies quadraginta cum Discipulis conversatus, ore tenus eos docuit.

Si verò quæras, quanam traditiones sint quæ servantur in Ecclesiâ? Respondeo cum Gravina como præf. cont. 4. art. 7. has potissimum haberi. Primo circa mysterium Trinitatis, tres esse duntaxat, nec plures personas; erit enim expressè habetur in Scriptura, tres esse personas, nullibi tamen expressè habetur non esse plures, sed id sola traditio docet. Secundò, quantum ad primam personam, nomen in quo ipsi soli convenire, & quantum ad Filium, esse principium Spiritus Sancti; & demum quantum ad ipsum Spiritum Sanctum, illius productionem non esse generationem, sed processionem, hæc enim minus ex Scriptura, quam ex traditione habentur. Tertio de Christo, traditione habetur, descendisse ad inferos, & liberale Patres. & crucis lignum in honore habendum esse. Quarto de Beata Virgine, virginitas eius perpetua, immunitas ab omni actuali peccato, assumptio ejusdem in celos, etiam in corpore, traditione habentur. Quintò Symbolum Apostolorum, sicut & Scripturam, quam habemus, canonicam & veram esse Scripturam, solâ traditione accepimus. Sextò circa Sacramenta, eorum numerum, materiam, formam, traditio docet, saltem quantum ad aliqua, quorum materia & forma non exprimitur in Scriptura: sicut & baptismum debere conferri parvulis, posse in necessitate conferri ab omnibus, validum esse collatum ab hæreticis, imprimere characterem, non esse iterandum; Confirmationem verò esse Sacramentum, characterem imprimere, & à solo Episcopo ut in iustro ordinario posse conferri: Eucharistiam esse Sacramentum simul & sacrificium, & aquam vino miscendam esse: Pœnitentiam verum esse Sacramentum, & triplici parte, confessione scilicet, absolutione, & satisfactione constare: Extremam Unionem verum esse Sacramentum. Ordinem etiam esse verum Sacramentum, imprimere characterem, & varios esse ejus gradus; demum Matrimonium, verum etiam esse Sacramentum, conferre gratiam, & ratum, non consummatum, per

Tom. IV.

A professionem religiosam dissolvi. Hæc omnia sigillatim ex traditione haberi probat eruditè citatus Author. Quæ verò sequuntur, & quæ potissimum hæretici negant, probat operosius haberi traditione omnium à Christo sæculorum. Primò primatum D. Petri; secundò Missæ sacrificium; tertio purgatorium, & defunctorum suffragia; quarto institutum monasticum, & celibatum; quinto sufficere Eucharistiæ sumptionem sub unica specie, sexto fieri veram in Eucharistia transubstantiationem; septimo esse in Ecclesiâ thesaurum Indæ indulgentiæ concedantur; octavo Sanctorum invocationem & intercessionem; nonò imaginum & reliquiarum cultum. His addo jejunium quadragesimale, quod omnes ferè Patres ex Spondano anno 57. num. 57. docent institutum fuisse ab Apostolis in honorem Passionis & Resurrectionis Christi. Unde Hieronymus, in Epistola ad Marcellam: Nos (inquit) unam quadragesimam ex Apostolorum traditione congruo tempore jejunamus. Et Ignatius Episcopi ad Philippenses in fine: Quadragesimale jejunium ne spernaris. Basilus item serm. 2. de Jejunio testatur jejunium quadragesimale legem suo tempore adeo religiose observari fuisse solitam, ut nemo profus ab illa sese eximeret; non infusa (inquit) non terra, non civitas, non gens, non denique locus ullus in deserto, ubi prædicatione ista non fuerit audita, sed & exercitus, & iter facientes terrarum marique, mercatores quoque omnes, similiter audiunt & suscipiunt. Idem de jejunio quod servatur quatuor anni temporibus docet Leo Papa serm. 7. de Jejunio mensis septimi. Et serm. 2. de Jejunio Pentecostes hæc habet: Divinandum non est discipulis, omnem observantiam Christianam, eruditionis esse divinam. & quidquid ab Ecclesiâ in consuetudinem est devotionis receptum, à traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium residet institutus.

Ex his intelliges, triplex esse genus traditionum: aliæ enim sunt immediate à Christo, quæ divina: aliæ ab Apostolis cum assistentia Spiritus Sancti, quæ Apostolicæ; aliæ quæ vel à Prælati, vel à populis inchoatæ, usu & consuetudine obtinuerunt, ut vim legis haberent quæ Ecclesiasticæ dicuntur. Dux priores habent eandem vim & certitudinem, quam habet verbum Dei scriptum, cum nitantur eidem authoritati, quâ nititur ipsum; & cum verbum Dei, ut supra dicebamus, non habeat vim abatemento & characteribus, sed à Dei authoritate. Rursus earum quæ à Christo vel ab Apostolis sunt, aliæ ad fidem, ut quod deipari fuerit temper virgo, quod sit in celum assumpta, quod nunquam venialiter peccarit; aliæ ad mores pertinent, ut quod servanda sint jejunia, quod celebranda sint festa certis anni diebus, &c. De quo vide Spondanum anno 58. num. 36.

§. II.

Hæreticorum objectiones solvuntur.

Objeiunt in primis Hæretici: Scriptura prohibet addi quidquam Scripturæ aut verbo Dei, dicitur enim Denteron. 4. Non adderis ad verbum quod loquor vobis nec auferetis. Et Apocal. ultimo: Si quis apposuerit (id est addiderit) ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: Verbis igitur divinis, quæ in sacra explicata: ut Scriptura, nihil est addendum tanquam necessarium ad credendum, subingere

K k

nullæ

nulle sunt traditiones non scriptæ, quæ ad fidem A  
pertineant.

48. Reip. quod cum Scripturæ prohibet addi quid-  
quæ Scripturæ aut verbo Dei, intelligi debet pro-  
hibere ne quid sacra Scripturæ addatur, tanquam  
Scripturæ divinæ, aut verbo Dei, tanquam verbū  
Dei, quod tale non sit, aut quod sit illi contrariū.  
Nam post librum citatum Deuteronomii, quo  
prohibetur ne quid Scripturæ aut verbo Dei ad-  
datur, multi alii libri Canonici scripti sunt. Simi-  
liter cum D. Joann. ait: *Si quis apposuerit ad hæc,  
apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc, so-  
lum vetat ne libro Apocalypsis sibi in Pathmos  
insua ostensa, aliquid addatur tanquam pars illius  
Apocalypsis, quod tamen ipse non scripserit vel  
addiderit; non verò prohibet acceptari alias re-  
velationes ad eum librum nihil facientes, aut A-  
postolorum traditiones, & Ecclesiasticas Consti-  
tutiones sacris litteris non repugnantes.*

49. Obijciunt secundò aliqua Scripturæ testimo-  
nia, quæ traditiones damnare videntur, Christus  
enim Matth. 23. alloquens Judæos dicebat: *Irri-  
rum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras.*  
Et Paulus ad Coloss. 2. *Videte (inquit) ne quis vos  
deiciat per Philosophiam, & humanam fallaciam, secun-  
dum traditionem hominum.*

50. Verum ad hæc facile respondetur, Christum &  
Apostolum, locis citatis, reprobare quidem tra-  
ditiones fictas, fucatas, & contrarias Scripturæ,  
vel rectæ rationi, quales erant illæ quas Judæi à  
Pharisæis acceptas servabant; non tamen legitimi-  
mas, quales erant quas ipsis Moyse & Prophe-  
tæ tradiderant; ex quo proinde nihil contra nos;  
non ideo enim veræ & Apostolicæ traditiones  
sunt contemnendæ, quia Christus & Paulus fas-  
fas & Pharisæicas condemnarunt.

51. Obijciunt tertio SS. Patres docent Scriptu-  
ram sacram esse sufficientem fidelibus; ait enim  
Tertullianus contra Hermogenem, *Adoro plenitu-  
dinem Scripturæ, & Augustinus lib. 2. de Do-  
ctrina Christiana cap. 9. In us (inquit) que aperte  
posita sunt in Scripturæ. istæ erunt illa omnia que  
continent fidem.* Et lib. 3. cap. ultimo: *Quidquid  
homo extra dixerit, si non in istis, ibi damnatur. si  
utile est, ibi invenitur.* Ergo præter Scripturam,  
nullæ dantur traditiones non scriptæ, quæ ad fi-  
dem pertineant.

52. Confirmatio: Non minùs sufficiens est pro  
fidelibus Christianis novum testamentum unà  
cum veteri, quam fuit solammodo vetus testa-  
mentum pro Hebræis: Sed tota fides ad quam a-  
stringebantur Hebræi, fuit expressa in veteri te-  
stamento, & libris ejus; Ergo etiam & tota fides  
ad quam de necessitate salutis obstringuntur  
Christiani, continetur in novo & veteri testa-  
mento; Nullæ ergo dantur traditiones non scri-  
ptæ, quæ ad fidem pertineant.

53. Ad objectionem respondeo Scripturam jam  
notam ex traditione, ut divinam, esse sufficien-  
tem fidelibus, si sumatur cum iis omnibus quæ  
continentur implicite & virtualiter: nempe quate-  
nus commendat traditiones, & judicium Eccle-  
siæ, cui parere nos jubet; non verò quatenus illa  
excludit. Unde ad locum Tertulliani dico, eum  
ibi non nisi de creatione mundi agere, contra er-  
rorem Hermogenis asserentis mundum non fu-  
isse productum ex nihilo, sed ex præjacente ma-  
teria. Ex quo nihil contra nos, quod enim Scri-  
ptura, quantum ad illum articulum sit sufficiens,  
sive habeat plenitudinem, non facit quod suffi-  
ciat quoad alia fidei nostræ dogmata.

Ad D. Augustinum, aliosque Patres interdum  
asserentes, Scripturam sacram ad fidem sufficientem,  
dicendum est, eos non uti uti Scripturam in-  
stricta illa & rigorosa acceptione, quæ libris so-  
lum Canonicos complectitur, sed in alia magis  
ampla & generali significatione, quæ ambit &  
conplectitur omnem revelationem ab Ecclesia  
acceptam uti divinam, sive sit conscripta in cor-  
pore Bibliæ, sive non, sed solo verbo tradita. Si-  
quidem quia potissima & multò major pars divi-  
natum revelationum nobis communicatarum,  
est exarata & scripto expressa in ipsa Biblia, id-  
circo nomine sacra Scripturæ, SS. Patres com-  
prehendunt etiam pauca divinitus nobis per  
traditionem revelata.

Ad confirmationem nego Minorem, Hebræi  
enim, præter libros veteris testamenti, habuerunt  
alia nonnulla ad fidem & mores spectantia, ex  
ore Prophetarum & antiquorum Patrum, sine  
scripto excepta, sed ab eis ad nepotes, voce,  
verborumque communicatione transfusa, ad que  
nihilominus agenda vel credenda ipsi obstringe-  
bantur; quas traditiones sine scripto per oris  
transfusionem, nonnulli *Kabalam* Hebræicè voce  
nuncuparunt, ut supra in ultima probatione no-  
stræ conclusionis declaravimus. Unde falsum  
est quod in argumento innuitur, nimirum in ve-  
teri testamento, seu in libris Moyse, omnem  
doctrinam ad salutem necessariam fuisse conten-  
tam; nullibi enim in libris Moyse extat reme-  
dium pro peccato originali in tœniniis, & mal-  
cylis ante octavum diem, nec non in gen-  
tilibus, qui circumcissioni non astringebantur,  
multis que aliis quæ supra retulimus.

Obijciunt quartò: Per traditionem non scri-  
ptam ostium perverfis erroribus aperitur, facile  
enim est cuilibet hæretico, cum Scripturarum  
testimoniis destitutum videbit id quod dogmati-  
zat, traditionem de illo comminisci Apostolicæ:  
sic Papias apud Eusebium lib. 3. cap. ultimo erro-  
rem suum de mille annis regni Christi, in terris  
post resurrectionem futuri, commentitiâ tradi-  
tione Apostolicâ tueri conabatur: sic etiam  
Quartò-decimani jactabant se celebrationem Pa-  
schæ decimâ quartâ lunâ more Judæorum à Jo-  
anne Apostolo & Episcopo Ephesino accepisse,  
ut refert idem Eusebius lib. 4. cap. 14. At creden-  
dum non est, hæritum, aut Apostolos usque adeo  
apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo  
planè commentitium est, eos aliqua de dogmati-  
bus fidei reliquisse, quæ Scripturarum canone  
non comprehenderint, & per solam traditionem  
Ecclesia communicaverint.

Respondeo hoc argumentum nullius esse robo-  
ris, & facile posse in Adversarios sic retorqueri:  
Si fidei ac religionis negotiū doctrinâ duntaxat  
scripta comprehenderetur, magnum hæreticis ad  
errores in Ecclesiam invehendos pateret ostium;  
Sed credibile non est, Christum & Apostolos  
usque adeo apertum ostium erroribus reliquisse;  
Ergo nec eos omnia scripto tradidisse. Sequela  
Majoris probatur, facile enim est cuilibet hære-  
tico Scripturas corrumpere & depravare, illisque  
abuti ad probandum vel defendendum suos erro-  
res. Unde Augustinus lib. 3. de Baptismo contra  
Donatistas asserit omnes seductores non aliter  
populos fessellisse, nisi prætextu Scripturarum,  
quas (inquit) tenent ad speciem, non ad substantiam. Il-  
lique ipsi Hæretici quos proferunt Adversarii,  
& in quibus malum traditionis usum reprehendunt,  
potius ex Scripturis malè intellectis, quam

ex traditione fuerunt decepti: Papias enim (ut scribit Eusebius lib. 4. cap. 14. & Hieronymus in cap. 49. Iſaia, & 19. D. Matthaei) ex Scriptura male intellecta Euangeliorum & Apocalypſis, ſuum errorem deduxit; & Quartodecimani decimam quartam lunam celebrandum eſſe palcha aſſerobant, ex eo quod ex Euangelio id aperte colligebant, ut docet Polycrates, qui illorum Conſilio, ſeu Synodo praefuit. Sicut ergo ex eo quod plures haeretici ad errores ſuos defendendos, Scripturam abuſi fuerint, propterea non poteſt dici per ſacram Scripturam oſium erroribus fuiſſe aperum, ita, imo & multo minus, id per traditiones factum dici poteſt, quamvis interdum haeretici, Scripturarum autoritate deſeruti, traditione abutantur, vel eam ad ſuorum errorum deſenſionem commiſiſcantur: *Nihil enim (ut ait Seneca) tam ſacrum, quod ſacrilegum non inueniat.*

Obijciunt ultimò: Eo modo credibile eſt A poſtulos neceſſaria fidei noſtra dogmata tradiſſe, qui videtur magis conueniens ut illa perpetuo in Eccleſia conſervarentur pura atque integra: Sed modus tradendi aliqua ex dogmatibus illis viva duntaxat voce, non ita ſe habet: Ergo credibile eſt, doctrinam fidei ab A poſtulis hoc modo traditam non fuiſſe. Major conſtat, Minor verò probatur; quia impoſſibile eſt, vel admodum difficile, ut quod auditione tantum percipitur, integrum contineatur & conſervetur, vel enim qui audit, non ſatis allequitur quod audit, vel certe proſtmodum obliuiſcit illius, & conſequenter minus incorrupte ipſum aliis tradit. Unde quamvis in lege natura Eccleſia tantum traditionibus non ſcriptis eſſet innixa, quia tamè ſucceſſu temporis oblivione ipſas obliterari animadverſum eſt, in lege Moſaica Scripturae datae ſunt, ut per illas oblivioni traditionis ſuccurreretur.

Reſpondeo conſeſſa Majori, negando Minoram, & ad illius probationem dico quod licet attentà humanà induſtriâ & curâ in conſervandis traditionibus non ſcriptis, vix fieri poſſit quod non pateant deſectui qui obijciuntur; quia tamen illa quibus utitur Eccleſia, Spiritus Sancti providentiâ ſingulari quâ regitur ipſa Eccleſia conſervantur, non magis mendum eſt ut pereant aut corumpantur in tota Eccleſia, quam Scripturae, ut pote quæ ſi humanam tantum providentiam attendemus, facile poſſent etiam corumpi, imò & omnino deſtrui. Et certe ſi traditionem fidei toto tempore legis naturæ abſque ullis ſcriptis conſervavit Deus, nunc etiam & ſcripturas, & traditiones non ſcriptas, haud difficilius conſervabit, ridiculùmque eſt credere, eas non eadem diligentia ac fide poſſe in fidelium cordibus aſſervari, ac ſi in papyro ſcriberentur; neque enim Scriptura Spiritus Dei vivi, facilius quam Scriptura atramenti deletur. Unde falſum eſt, dicitur ſcripturas in lege Moſaica fuiſſe datas à Deo, ut oblivioni traditionis ſuccurreret, ſi enim ea ſolum de cautâ dediſſet eas Deus, illa omnem doctrinam ad ſalutem hominum neceſſariam continerent; quod tamen falſum eſſe ex eo ſuprà eſtendimus, quod nullibi extet in libris Moyſis remedium pro peccato originali in feminis, & masculis ante octavam diem. Alia ergo cauſa illius legis ſcriptæ fuerunt; nimirum ut eâ etiam ratione per ſe quoque optimâ, hominum ſaluti conſuleretur. Ut ad plures cognitio cœleſtis doctrinæ, propius imminente tempore legis gratiâ, facilius pervenire poſſet. Et ut, vel ipſi Juſtae Invitiis, Eccleſia Chriſti aliquando copiam

eorum doctrinæ haberet, & conſequenter ejus autoritate, atque antiquitate, veritatem ſuorum dogmatum deſequeret.

## DISPUTATIO III

## De Eccleſia.

**E**Gimus diſputatione præcedenti de duplici regula fidei inanimata & muta, Scriptura ſcilicet & Traditione, nunc de triplici alia regula animata & loquente nobis ſuper eſt diſputandum; & primò quidem de Eccleſia, deinde de capite ejus viſibili, Pontifice Romano, poſtea de Conciliis generalibus & œcumenicis, univerſalem Chriſti Eccleſiam repræſentantibus.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Verum Eccleſia univerſalis ſit inſallibilis in credendo, & circa regula fidei?*

## §. I.

*Quibusdam præmiſſis, conſeſſio affirmativa ſtatuitur.*

**S**uppono primò, Eccleſiam poſſe ſpectari dupliciter: Primò generaliter & latiffimè, pro ut non ſolum homines, ſed etiam Angelos, nec ſolum viatores, ſed etiam beatos & comprehenſores complectitur; unde ſic accepta deſinitur, *Societas creature rationalis, ſupernaturali cognitione Deo adherens, eſtque vero cultu inter ſe communicans.* Ubi dicitur primò *ſocietas*, quia Eccleſia in uno ſolo ſubſiſtere nequit, ſed ad minimum tres, qui in jure dicuntur capitulum facere, complectitur. Secundo *creatura rationalis*, quo nomine tam Angeli quam homines comprehenduntur, ambo enim ad corpus Eccleſiæ generaliter ſumptæ ſpectant. Tertio ſubditur, *adherens Deo*, quia ſi Eccleſia Deo non adhereret, eſſet congregatio prophana & humana, ad inſtat rerum publicarum hujus muncii, non autem divina & cœleſtis, qualis tamen debet eſſe Eccleſia, de qua nunc agimus. Quarto ſubjungitur, *ſupernaturali cognitione*, in genere, ut ſic viſionem Dei, & fidem complectamur; Angeli enim in Eccleſia triumphante, Deo per claram ejus viſionem adherent, nos autem in militante, ſicut & anima quæ in purgatorio cruciantur, per fidem & ænigmaticam cognitionem. Quinto dicitur, *inter ſe communicans*, ad ſocietatem quippe non ſufficit ſola multitudo, ſed in ſuper requiritur aliqua communicatio, ut nimirum unaquæque pars alteri pro ſuo modo & conditione communicet; unde in damnatis, quamvis ſit multitudo, non reperitur tamen vera ſocietas, quia non ſunt inter ſe uniti, neque mutuis officiis inter ſe communicant. Poſtremò ſubditur, *vero Deo cultu*, quia communicatio quæ eſt inter Eccleſiæ membra ſed partes, maxime penes verum Dei cultum attenditur. Eccleſia enim nomen eſt religionis, ſignificans ſocietatem eorum qui ad Deum colendum vocati ſunt.